DE CANCRO LABIALI ADDITIS OBSERVATIONIBUS TRIBUS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XI. M. APRILIS A. MDCCCXXXII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR
HEIMANN WOLFF BEREND
NEOMARCHICUS.

OPPONENTIBUS:
S. KRONENBERG, MED. ET CHIR. DR.
M. EULENBURG, MED. ET CHIR. CAND.
N. LIPPMANN, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

OPTIMO ET PRAESTANTISSIMO

AUG. BLOCH

N E C N O N

VIRO

HUMANISSIMO ET PRAECLARISSIMO

L. LIMANN

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Quisque fere, ad lauream doctoralem adipiscendam dissertationem conscripturus, duplici impleri solet pavore, et ne quid magnopere triti, quod neminem delectare possit, repetat, neve, si quid novi in animo habeat proferre, nimis sibi arrogare videatur tiro. Nobis eadem difficultate circumventis ideoque in materia eligenda haesitantibus viri celeberrimi, qui praxeos chirurgicae humanissimus noster erat dux, Dieffenbachii succurrit liberalitas. Ejus enim consilio cancrum labialem, morbum haud dubie notatu dignissimum nobis proposuimus describendum, ac

multis, quae de eo experti sunt au
ctores, comparatis collatisque, cum
pro temporis, quod prostitit brev
tate, tum pro viribus maxime exigui
id potissimum dedimus operam, ut
si non inaudita prorsus interpreta
remur, perspicuam tamen morb
ipsius, cujus tres casus adjunct
sunt observati depingeremus imagi
nem. Quantum hac in re nobis con
tigerit, indulgens ac benevolus diju
dicet lector, cujus humanitati et co
mitati commendamus opusculum.

Nosologia scirrhi et carcinomatis.

Scirrhus, cancer, cui, ubi primum in evulcerationem transgressus est carcinomatis vindicatum est nomen, uti multas corporis nostri partes sic etiam labia, imprimis autem labium inferius, minus saepe superius occupare ac plerumque aetate jam provectiori apparere solet, feminis quidem, quarum potius mammas uterumque aggredi amat fere parcens, viris eo majus afferens periculum. Quamvis autem generatim cancri labialis diagnosin vix ac difficile tantum ex forma, quam prae se fert prisci aevi medici determinari contenderint, novissimorum tamen temporum experta varium quidem mali esse initium, mox autem et singulari specie et proprio decursu et peculiari in totum organismum effectu ejus eminere naturam pro certo nos docuerunt.

Glandulae quibus labii praecipue inferioris margo obsitus est majoribus, postquam induruerant, in cheilophyma mutantur scirrhosum, quod haud ita magnis stipatum doloribus increscit sensim, coloris insignis adhuc expers, mox gibborum fit aut verrucosum, denique prurit, atrocissime dolet, postremo rumpitur et ulcus refert exedens, marginibus inaequalibus quasi corrosis, partibus vicinis lividis, varicosis,

basi fungosa, secretione tenui, serosa, ichorosa, magis minusve copiosa, haud raro sanguinolenta. Post longius breviusve temporis spatium glandularum verbi causa sublingualis, submaxillaris, quin etiam parotidis haud procul adsitarum conspicitur tumor et induratio, mali deuteropathici haud dubie signum certissimum, quae exulceratae, nisi ars malo horribili fines imponat, cum labio inferiori jam partim consumto confluunt, ac tristissimam et ultimam hominis exhibent miseriam.

Neque tamen semper eodem modo sese habet cancri labialis origo. Fit enim nonnunquam ut primum una vel complures exoriantur verrucae (Cheilophyma verrucosum, labrisulcium) e cute prorumpentes, callosae, rigidae, durae, implanae, siccae, dentatae, elatae, modo pensiles, modo in fundo latiores, modo siccae et lividae, modo in exulcerationem abeuntes et humidae, magnitudine saepe haud eximia. — Ulcus inde enatum lividum oculis se praebet, colore fusco, vel e fusco-rubro, superficiale aut profundum, rimis distentum ac fissuris, quibus particulae aliae minores omni vi orbatae vitali excidunt, aliae fungosae excrescunt, vicina corrodunt, ichorem odore specifico effundunt, dolores provocant pungentes, carbonibus similes ardentibus, terrent adspicientem. — Nec tamen semper ulcus rapidissime ad totum extenditur labium; interdum, ubi, quamdiu in partibus tantum obsedit cellulosis, requiescere videtur evolutio, duplicata vehementia surgit morbus, maximeque simulac membranam statim mucosam affecit omnia destruit, ne musculis quidem sese abstinens,

qui ceteris fere omnibus desorganisationibus nunquam succumbere solent. —

In aliis casibus accidit ut evolutionis initio parva crusta aut macula nigrescens aut vulnus male et inepte curatum, ab aegroto et medico despectum periculosae labi ponat fundamentum, unde idem gignitur ulcus, omnibus dyscrasiae csrcinomatosae signis praeditum, cujus tamen margines molliores esse, basinque minus induratam esse affirmavit Ullmannus [1]), quod quidem subtilissime distinctum apud ceteros de hac re auctores non reperimus.

Contra diversa ab his, quorum mentionem fecimus, ratione, primarium extemplo tale observatur ulcus carcinomatodes, aut cellulare aut glandulosum, in quo igitur nulla de morbi natura aderit dubitatio.

Respectu dignitatis hujusce, quod paucis nunc exposuimus mali, id potissimum videtur esse singulare, quod cancer labialis, quilibet ejus est fons et primordium, diutius certo quam si idem morbus alias corporis invaserit partes, maneat idiopathicus, et serius demum partes vicinas ita sympathica via irritet, ut, materia contagiosa per vasa lymphatica propagata et functione partis humorumque normali secretione laesis, universalem revera dyscrasiam adesse nobis sit persuasum.

Malum autem carcinomatosum, quamvis pro forma, constitutione, causis nocentibus quae huc agere possunt externis diverso modo varians, sicuti signis

---

1) Encyclopädisches Lexicon der medicinischen Wissenschaften Band VI, S. 613.

ante allatis elucere videtur, tam peculiarem habet indolem suamque, sit venia verbo, tam propriam degit vitam, ut definitis criteriis a multis aliis morbis in labiis obvenientibus attentus medicus possit distinguere. — Ut enim primum loquamur de ulceribus illis simplicibus [1]) vulnere, ambustione etc. provocatis, ista, nisi perversis prorsus utaris medicaminibus, tantam offerunt benignitatem, margines, vicinium, basin, secretionem tam normalem, ut brevi perfecte sanari valeant. Similia hisce occurrunt, quorum causa in abdomine sita, quae quidem dependent a colluvie gastrica, biliosa, nec desunt exempla, ubi nodus durus, dolorosus, cui praeceps judicium jam scirrhi injecerat denominationem, emeticis et purgantibus [2]), praecipue Helleboro nigro resolutus est, sicuti ulcus labiale malignum, dente incisivo maxillae inferioris oblique averso extracto, penitus disparuit [3]). — Tum multa occurrunt ulcera, quae scorbuto originem debent, antiscorbuticis sanabilia [4]) et ulcerationes fere malignae a pernionibus exortae, quae apta curandi methodo certissime cicatrice obducantur, vel ulcera ante simplicia quae cauteriis vehementissimis tacta ita irritata sunt ut carcinoma simulent, cujus rei nobis multa prostant observata, omnibus tamen signis et praesentibus et anamnesticis accurate collatis, facile prosilit veritas.

---

1) Richters Anfangsgründe der Chirurgie Bd. II.
2) Jourdain des maladies de la bouche. Tom. II p. 172.
3) Jourdain l. c. pag. 196.
4) Metzger. Adversaria Vol. II.

Deinde scrophulosa quoque labiorum ulcera, crustis delapsis, in conspectum veniunt tam vero insignita et marginibus interminatis et secretione caseosa [1]), ut cum morbo nostro vix confundas.

Ulcera denique venerea aut primitiva sunt aut consecutiva. Altera contagii syphilitici ad labia appositi, altera syphilidis primitivae non extinctae effectus.

Ulcera syphilitica [2]) labium potius inferius quam superius obsident et breviori longiorive tempore, postquam pars materia impura impraegnata est, erumpunt, id quod saliva venenum, ducente retardari, muco obscoenis osculis inhaerente accelerari affirmavit experientissimus Boyer. —

Praegresso dolore aut urente aut pruriente et epidermide denudata vesicula efflorescit, quae aperta unum complurave refert ulcuscula, fundo lardoso, marginibus inaequalibus, callosis, in latitudinem et profunditatem mox depascentia, aut quod saepius evenit, tuberculum parvum praecedit duriusculum, circumscriptum, lividum, modo dolens, modo non dolens, glandulis haud procul sitis intumescentibus. — Tuberculi margines, nisi lues oppugnetur exulcerantur, tumque eo magis, ut carcinoma adesse opinetur, permoveri potest medicus, quod aegrotus contagii vel plane inscius sit vel per pudorem obtegat. Carcinomatis autem decursus nunquam tam rapidus, glandularum tumor ad finem demum accedens, alia quae adsunt luis venereae symptomata una cum salutari mercurii usu, fraudem facile eripient.

1) Rust's Helcologie.

2) Boyer, Traité des maladies chirurgicales. Tom. III.

Restat adhuc, ut de tumoribus fungosis pauca faciamus verba. Boyer auctore [1]) labia, maxime superius non raro sedes sunt tumorum varicosorum aut fungorum haematodium, quorum germina congenita esse videantur. Tumores isti, in neonatis nondum visibiles, postea apparent macula parva, diffusa, sensim incrementa capientes; nunquam excelsam adipiscuntur magnitudinem, modo superficiales magis, modo ad membranam internam mucosam extensi. Tenerrima vitae aetas omni scirrho libera aeque ac morbi ipsius forma et indoles vix ullam permittunt cum illo commutationem. Idem dici potest de labiorum tumoribus, qui interdum exanthematibus retrogressis vel incaute sanatis aut mensibus irregularibus, oboriuntur [2]). — Addamus interpretationibus nostris diagnosticis pauca de morbo memoratu dignissimo ultimorum tantum annorum Richteri [3]) opera illustrato, nomate, quod etiam labia corripere potest. Noma secundum Richteri sententiam nihil aliud est nisi Stomacace gangraenosa, qua partes oris ac faciei sicuti per gangraenam ipsam destruantur. Id autem ita se habere confirmant odor morbo exoriente foetidus, saliva effluens copiosa, putrescens, tumor et partium decoloratarum per ulcus gangraenosum, sphacelosum eversio. Omnes hocce morbo detestabili affecti infantes erant tenerrimi, corpore debili, habitu scrophuloso, assimilatione et vegeta-

1) Boyer, l. c. pag. 350.
2) Jourdain, l. c. pag 392.
3) Richter, Ueber den Wasserkrebs. S. 46.

tione depravata. Ut tale enascatur malum summa opus est debilitate, unde fit, ut aetas provectior, cui major potentiis nocentibus resistendi inest vis, multo rarius ei succumbat. —

Antequam nunc ad aetiologiam transeamus, ea nobis considerare liceat, quae assidua summorum, virorum diligentia de anatomia scirrhi et carcinomatis pathologica nobis tradiderint, quibus morbi natura non solum magis elucebit, sed etiam prognosis certioribus legibus poterit constitui.

Ex variis auctorum de carcinomate sententiis praecipue nobis placet a Ph. Walther [1]) proposita, qui edixit, ulcus carcinomatosum esse peculiarem telae organicae ulcerationem cum malo junctam constitutionali, qua partium materia organica tam specifico modo destruatur, ut, nisi ars totam auferat superficiem, nulla ad normam fieri possit restitutio.

Minus vero nobis probata est Scarpae definitio, pronuntiantis, carcinoma esse partis cujusdam ulcerationem, qua materia organica destructa, inflammata, in suppurationem transducatur ac ulcus provocetur malignum, specificae vero ejus naturae nulla habita ratione.

Peyrilhe et Richerant morbum istum aeque difficile definiri ac sanari posse ingenue confessi sunt.

Ceterorum vero, veluti Andralii [2]) hypothesin

---

1) Walther. Ueber gutartige Verhärtung, Scirrhus etc. Journ. für Chirurgie und Augenheilkunde. Bd. V. Heft II. S. 216.

2) Andral, Grundriſs d. pathologischen Anatomie, übersetzt von Becker. Leipzig 1829. Thl. I. S. 386.

omissuri addamus tantum Kluge [1]) primum optimo jure scirrhum et carcinoma ad pseudorganogenesin numerasse, unde definitio morbi emergit recta naturaeque apta, quamvis theoria ejus de systemate sanguinis et centrali et peripherico multis non probata sit physiologis. Anatomicae autem disquisitiones tam varia et inter se edidere discrepantia, ut de eadem re contraria saepe in lucem sint prolata. Postquam enim diu de morbi natura disceptatum erat, inde ab Hippocrate ab atra bile eum derivante, quem Galenus, Celsus, Aretaeus et inter recentiores Lieutand secuti sunt, usque ad Crawford qui in putrescentia veram enm positum esse opinatur, nuper denique Hunter formationem eam habet hydatidosam, (Hydatis carcinomatosa) cui adsensit Adams [2]), nonnullis adhuc, quae hypothesin exornarent additis, quod quidem satis refellerunt Cline, Burns, Himly, Meckel. —

J. F. Meckel [3]) enim signa anatomica in hacce desorganisatione per diversa evolutionis stadia observata accuratissime interpretatur atque depingit. — Organon aliquod ex istius sententia, primo stadio adhuc scirrhosum, magnitudinem normalem paullo excedit et duritie summa et colore pallidiore sensibus percipitur. Oculus armatus duplicem ibi cognoscit substantiam, alteram fibrosam, opacam, alteram vix organicam, magis minusve pellucidam. Altera com-

---

1) Kluge, Classification der chirurgischen Krankheiten. Berlin 1826. Fol. Pseudorganogenesis.

2) Adams. On morbid poisons.

3) Meckel. Handbuch der pathologischen Anatomie. S. 337.

posita est lamellis irregularibus sine certo ordine coacervatis, crassitie et forma cum altera non semper congruis. — Hae cellulas efficiunt substantiam illam continentes, quae organica vi destituta esse videtur, fuscam, interdum coeruleam, subviridem, rubicundam aut pallidam. — Altera substantia splendore quodam semper insignis, eique eadem est durities, quae fibris substantiae opacae ipsam circumferentibus.

Secundo stadio substantia, quae cellulis inhaeret, emollitur, aut ex internis ad externa aut vice versa in exulcerationem transducta. Rumpitur abscessus, expanditur ulcus, adest Carcinoma. Tum sane excrescentiae durae, fungosae, papillis carnosis similes attentione dignae sunt.

Ex sequentibus, quae explicat Meckelius huc memorare operae pretium est: scirrhum plerumque quidem ex organi structura tota eversa et destructa oriri, interdum tamen, ubi nihil cum isto ei sit commune sed proprium existimandum sit organon, suis plane separatis inhabitare tegumentis, unde, patet vicinis integris, morbum perdiu remanere localem.

Otto hisce describit carcinoma: carcinomatis primordium est scirrhus, nodus a partibus vicinis adhuc sejunctus, haud propriis praeditus involucris, duritie et pondere eximius, albidus, paucis nullisve vasibus sanguiferis irrigatus, parenchymate ex innumeris fibris vel lamellis ligamentosis constructo, quibus situm irregularem servantibus fluidum interpositum est quasi anorganicum, gelatinosum, albuminosum, subcoacualabilem, maxima ex parte pellucidum, saepe

turbidum, flavescens, fuscum. Pro varia partium affectarum structura organica, pro tumore magis minusve laxata, pro materia gelatinosa magis minusve copiosa et fluida scirrhi etiam discrepabit species, quibus tamen nunquam scirrhi, lardosi, hydatidosi, nodosi, tuberculosi constitui possunt discrimina. — Scirrhus, a centro sensim emollitus, gibbosus redditur, saepe bursiculas continens lympha repletas. In parenchymate exulcerato arteriarum, in vicinio venarum augetur numerus, et parimenta telae involvuntur adiposa, duriuscula, flavescente. —

Ex medicis Gallicis mentio nobis facienda est Bayle et Cayol [1]) qui hocce modo rem exposuere: scirrhum duplice compositum esse tela morbosa accidentali tissu squirrheux et matière encephaloide, cérébriforme, dum quinque aliae telae morbosae, melanosis, tubercula, corpora fibrosa, cartilagines accidentales, chondrosyndesmi accidentales casu tantum fortuito ibi occurrant, tumores materia sola tuberculosa vel alia tela huic adjuncta formatos scirrhosos vocandos esse et signis et decursu a scirrho abhorrentes, tubercula tela fibrosa, cartilaginea et chondrosyndesmo composita veri saepe scirrhi prae se ferre speciem, neutiquam tamen universalem illum in totum organismum provocare effectum, sed situ tantum et volumine organismo esse noxia.

Rust [2]) eo potissimum scirrhum et carcinoma differre arbitratur ab inflammatione, quod istis induratio primaria adsit, secundaria inflammatio, exulce-

1) Dictionaire des sciences medicales v. Cancer.
2) Rust, in praelectionibus academicis.

rationis index, contra in hac inflammationem praegressam sequatur induratio. — Quam quoque rem summi momenti uberrime explicavit Gendrin [1]) contra Broussaei pugnans systema, qui phagedaenica ulcera et carcinomatosa inflammationis chronicae, qua lympha cragulabilis exsudetur mox depravata, effectum esse contendit. — Carcinoma autem et scirrhum neque inflammationem ipsam putandam esse neque morbum ejus consecutivum hisse effectum esse vult Gendrin.

1) Quia carcinoma, omnibus verae inflammationis symptomatibus carens, specifico omnino modo semper appareat.

2) Quia inflammatio nulla praecedat sed potius sequatur (quam, si superficialis conspicitur pseudoerysipelas nominat Rust).

3) Quia inflammatione mera nulla tam propria carcinomatis symptomata efficiantur.

4) Quia solius inflammationis causae quod carcinoma gignerint, nunquam possint accusari.

5) Quia tam peculiaris ejus sit structura, ut cum tumore inflammatorio neutiquam possit conferri.

6) Quia pseudoorganisationis incrementa dependeant a 'materiae specificae secretione primum firmioris, postea emollitae.

7) Quia substantia scirrhosa et carcinomatosa in omnibus corporis partibus occurrat eodem modo constituta, contra tumor inflammatorius maxime variet, variosque morbos relinquat secundarios.

---

1) Gendrin. Ueber die Entzündung und ihre Folgen, übers. von Radius. Leipzig 1829. S. 499.

Quod vero speciatim ad cancrum attinet cutaneum haud nobis arridet Waltheri opinio, productiones illas verrucosas ex papillis cutaneorum nervorum prolongatis vasibusque retis Malpighii nutritis habere originem. Cum enim nunquam subtilissimi illi nervorum fines in conspectum venerint, nullam causam subesse videmus, cur carcinoma tantum cutaneum non ex scirrho evolvatur sed statim tale existat.

Aetiologia.

Scirrhi carcinomatisque causae plerumque dividuntur in causas disponentes vel internas et occasionales vel externas. Prima dispositio in genuina organi ipsius affecti posita est natura atque indole. Cutanei autem et scirrhi et carcinomatis sedes primaria est in glandulis conglomeratis cutis aut externae (corii) aut internae (membranae mucosae vel nerveae vel vascularis), ex quibus vasa lymphatica materiam saniosam resorbent ac per partes vicinas (nisi consensus idem efficiat, organorum) ita divulgant ut totus organismus affectionis localis particeps fiat.

Altera et quidem gravissima causa disponens habenda est vitae aetas. Constat enim inter omnes morbum istum rarissime homines corripere nondum puberes, plerumque vero comminari annis climactericis vel decrepiditati tumque non solum in constitutione inveniri cholerica, fibrae rigidae, verum etiam in hominibus laxis, phlegmaticis, bene nutritis, imo etiam in iis qui, si habitum solum respicias, optima valetudine gaudere videantur, quod saepe observandi no-

bis adfuit facultas. Ex Starkii [1]) [2]) observationibus cancer labialis praesertim afficit viros annum agentes quadragesimum ad sexagesimum, rarius trigesimum et septuagesimum, etsi aegrotus, cujus ad opusculi finem afferetur historia, septuagesimo jam aetatis anno versatur. — Ex casibus quadraginta quatuor carcinomatis labiorum diversae formae ac magnitudinis ne ullum quidem in foemina vidit Starkius, nec minus ex scirrhis mammae triginta quinque unum tantum in viro. Deinde cachexia scrophulosa, syphilitica, arthritica, herpetica non raro carcinomatis labiorum relinquunt dispositionem, pathemata quoque animi incusantur nonnunquam, quamvis multa immerito hisce nocentibus tribuantur ulcera.

Causis occasionalibus saepissime penitus desideratis vulgo adnumerantur laesiones mechanicae, maxime contusiones (quales fumisugium procreare traditur) quibus glandulae irritentur et premantur earumque stagnent humores. Nihilominus tamen eaedem caussae tam saepe exstant, iisque tanta mortalium copia obnoxia, labe graviori tamen non generata, ut, si quidem causa proxima explicari nequeat, tamen pro praesenti litterarum medicarum statu dispositionem huic morbo subesse affirmaremus. Quae quidem num hereditaria sit, nec ne, summopere inter se dissenserunt auctores. Sin autem aliarum partium sicuti mammarum desorganisatione simili, quam

---

1) Stark, de cancro labii inferioris observationibus illustrato. Goett. 1812.

2) Langenbecks Chirurgische Bibliothek. Bd. IV. St. 4.

saepe curavimus ad labii inferioris malum aliqui concludere liceat, dispositio aliqua hereditaria minime erit neganda. — Complura enim ejusdem familiae membra in eundem morbum incidere frequentissime observavimus.

Hisce interpretationibus apte adnectatur quaestio num generatim cachexia exstet carcinomatosa, deinde num sit contagiosa. Labii scirrhum (saepius quam ceterarum partium) priusquam in carcinoma apertum transierit, faustissimo eventu arte remotum esse; morbum igitur incipientem haud dubie habendum esse localem, magis autem evolutum sympathicum vel universalem ut exitum admoveat tristissimum affatim nos edocuit experientia. — Talis cachexiae carcinomatosae signa certissima sunt: febris lenta, quae typum servat intermittentem, irregularem, frigore non inducta sed doloribus stipata acerrimis rheumaticis (quos rheumatismum spurium vocat Horn), interdum vel vere osteocopis, — habitus denique peculiaris, facies pallida, anxia, oculi relapsi, glandularum palpebralium rubedo, animus tristissimus. — Materiam carcinomatosam secum ducere aliquid contagiosi, quamvis Alibert et Dupuytren et alii negaverint, Rust [1]) tamen affirmat, quod eo fortius esse dixit, quo magis verum evolutum sit carcinoma.

Prognosis.

Qui carcinomatis naturam haud ita obiter contemplatus est, facile intelliget, parvam saepe nullam

---

1) Rust's Helcologie.

laeti successus nobis relinqui spem, attamen ex innumeris de cancri labialis observatis satis patet, hujus partis degenerationem meliorem adhuc permittere prognosin, ac, aetatis et constitutione ratione habita, eo faustiorem artis (naturae enim medicatricis in scirrhum viribus solis nunquam confidendum) exspectandum esse eventum, cum malum adhuc locale radicitus tollere nobis contingat [1]).

Therapia.

A primis inde temporibus optimus quisque medicus de lenissima semper tam horribilis mali tollendi cogitabat methodo suumque in ea praeprimis auxilia animum intendere solebat, quae miserrimum aegrum haud nimis excrucient, morbum autem atrocissimum funditus propellant. Scirrhus modo nascens, quippe cujus initio nos fere semper lateat indoles, caute nos agere cogit, ne rapidius ea eligamus, quibus tam vehemens in totum organismum inest vis, ut totam potius animam extinguant quam mali ipsius ne minimam quidem partem in melius commutent. Qualiscunque autem morbi erit forma accidit nonnunquam, quod Boyer [2]) testatur, ut perdiu eundem obtineat gradum et natura ipsa, quominus proficiat, quasi retineatur. Tum sapientissimae naturae praecepta secuturis omni nos abstineamus violatione artificiali, et aegrotus, nisi tumorem fortasse prurientem digitis semper irritet, permultos adhuc annos versabitur in

1) Langenbeck, l. c. S. 560.
2) Boyer, l. c. S. 253.

vita. Contra morbus in diem progrediens et increscen qui jam totius corporis humores depravare, vegetatio nem universalem deperdere, vires, doloribus consumer immineat, ut pro viribus opitulemur nos invocat, ut medicorum, qui semper scirrhum noli me tanger habere consueverunt, exemplum haud imitando om nis danda erit opera, ut vis vitalis a norma deflex dometur, frenetur et quoad fieri possit ad statum re ducatur normalem.

Ex remediis internis, quae laudabilem praebue runt efficaciam primnm memoretur strenuus deco Zittmanni usus [1]), quod summam habet virtutem al terantem et depurativam, quo complures scirrhos e labii et linguae ex toto se sanasse ex ore Rusti audivi, ubi vel glandularum adesse videretur tumo eburneus. —

Praestabit maxime ubi Syphilis depravata accusa tur, cachexia scrophulosa, arthritica, in hominibu ceterum satis robustis humoribus, quos vocant, im puris repletis. Cum autem propter vulgarem et tri tum hujus decocti usum uberius de eo loqui opu non sit, addamus modo adhuc, ex Rustii sententia usum per hebdomades, si vires sufficiant, sex conti nuatum majorem proferre utilitatem quamsi tribu primis praeterlapsis per octo dies seponatur, ut pe idem spatium reiteretur.

Ceterorum medicaminum postea mentionem fac turi ad summum et unicum nos convertamus mecha nicum, ad exstirpationem ab antiquissimis medici

1) Sundelin's Materia medica, Bd. I.

jam institutam cui nuper Young [1]) et Recamier substituere conati sunt compressionem sensim augendam.

Operatio, quamvis remedium plurimam partem palliativum, interdum tamen profecto radicale, eo efficacior erit, quo minus scirrhi jam in telam carcinomatosam facta sit metamorphosis, cum, quod experta monstrarunt, ne tum quidem plane sit desperandum. Sic in instituto clinico, cui illustrissimus praeest de Graefe, hominem vidimus optima valetudine fruentem, cui ante annos quatuordecim magna labii inferioris pars scirrhosa et, ni fallor, etiam linguae particula rescissa erat. — Omnia autem mechanica vana erunt et inania imo noxia, ubi jam cachexia sic dicta efferbuit carcinomatosa, qua recens vulnus mox carcinomatis nanciscatur naturam.

Morbo autem locali extinguendo et caustica inserviunt et excisio. — Caustica potissimum locum suum habebunt in ulceribus non fungosis, crustosis, verrucosis, minus duris ac prominentibus, ad quae pro sede sua suppetens caustici copia applicari potest ut basi funditus eversa nova granula benigna progerminent. Hac autem ratione quae summis laudibus efferantur digna sunt praeparata Arsenicalia [2]), quibus non solum diruatur pseudorganisatio sed etiam tota productio alteretur. Tanta autem, quantam in labii carcinoma exercent praestantia, minus probata est in carcinoma mammae, quem effectum

---

1) Minutes of Cases of Cancer and cancerous tendency suscesfully treated by S. Young. 2. Vol. Lond. 1816 bis 1818.

2) Vogt's Pharmacodynamik. Bd. I. S. 450.

ab applicatione, qua mali radices attingere valea[illegible]
perfecta dependere optime elucet. Omnibus ve[illegible]
formulis praeferenda est Frêre Cômii et Hellmund[illegible]
Ex Frêre Cômii praescripto, emplastro applicato f[illegible]
nestrato (quominus vicina laedantur custode), loc[illegible]
caustico hujus formulae illitus linteo carpto obtegat[illegible]

℞. Cinnabaris fact. ʒij.
Ciner. solear. ustar. Gr. viij.
Sanguinis draconis Gr. xij.
Arsenici albi Gr. xLviij.
M. f. pulvis subtilissimus.

Dolores quarto die paene immanes opio, cam-
phora et herbarum aromaticarum fomento mitigentu[illegible]
qui quinto sponte disparere solent. Crusta decim[illegible]
vel vicesimo die sponte delapsa, ulcus tum simple[illegible]
donec perfecto obductum sit cicatrice hocce Rust[illegible]
sanetur unguento

℞. Unguent de Styrace
Pulv. Carb. Tiliac ana ℥j.
Pulv. Camphorae
— Myrrhae ana ʒjß.
D. S.

Excellentissimo isti remedio proxime accedit Hy-
drargyri muriatici corrosivi usus in forma Graefiana
unguenti corrosivi aut escharotici:

℞. Hydrargyri muriat. corros. ʒij.
Pulv. Gumm. mimos. ℈j.
Aq. destill. simpl. ℈j.
M. f. unguent. spissum.

Nosmet in instituto ejus chirurgico hoc unguento bubonem carcinomatosum, qui per totum annum omnibus remediis, quin etiam decocto Zittmanni et methodo inunctionis pertinaciter restiterat, praeceptore illustrissimo atque experientissimo, quem ex intimo animo veneramur, suadente optimo eventu sanavimus, sicuti etiam scirrhus crustosus, herpeti exedenti similis nasi apicem obtegens eodem modo feliciter propulsus est. —

Cauterium vero actuale adhibeatur contra morbum minoris extensionis, magis superficialem, vel ubi morbus femel jam incisione remotus reiterati periculi excitet suspicionem.

Excisio denique laudatur:

Contra scirrhum et carcinoma occultum nec non carcinoma apertum fundo scirrhoso superstructum, deinde ubi utraque labii plana et externa et interna morbo affecta sunt, denique ubi tumor magis est verrucosus, crassus, prominens, fungosus. Nihil autem efficietur, si jam eburnea adsunt glandulae duritie; molliores tamen glandulares intumescentiae, gingiva livida et ossis ipsius degeneratio sola haud vetare possunt operationem. In qua quidem conficienda id potissimum erit petendum, ut omnia morbosa, glandulis haud absolute eburnea duritie nequaquam exceptis exstirpentur, quoniam qualis degenerationis iis

jam inhaereat gradus nunquam certo providen liceat. —

Incisionum, quas per forficem vel per cultrum perficias, directiones mali extensioni et formae erun adaptandae. Vulneris, per suturam partim nodosam partim circumvolutam artis lege uniantur margines quorum conglutinatio apto adjuvetur aegrotantis situ Ut vero partium excisarum, quoad fieri potest, resti tuatur penuria, quam jam natura labio superiore quod illustrissimus Dieffenbach observavit, ad infe rius in angulis oris descendente diminuere videtu neve nimia inde nascatur difformitas, partes mol liores cultro antea a mandibula, imo ad collum u que rescindantur. — Plerumque scopo nostro respon dent incisiones figurae V aut quod Delpech primum expertus est ◯ similes, ubi autem latius pateat ma lum neque labia neque malae tam relaxatae sunt ut contrahi possint, vel ubi oris angulum occupaverit carcinoma ab utroque latere circumcidatur ac vulnus ad anguli oris directionem sutura uniatur circumvo-luta; ubi totus vero labii inferioris margo ulceratione detentus est ex Dupuytren et Richerand methodo, omnibus morbosis exstirpatis, partes a mandibula rescissae sursum trahantur. — Morbus denique trans fines faciei egressus, quam Roux et Morgan docuere, cheiloplasticam exigit methodum, qua instituta aegro-tantis caput reclinetur ad pectus, ne oris formandi apertura sensim coarctetur. —

Malo ad maxillam ipsam jam propagato, vel in hac parte primum exorto neque cauterium actuale sufficit neque potentiale, et unica tantum salus nobis

relinquitur maxillae inferioris resectio a Dupuytren primum optimo successu exercita, a Delpech [1]) et de Graefe [2]) cujus aegrotantem perfecte sanatum nosmet ipsi in ejus vidimus instituto, exculta, quam tamen in hoc opusculo uberius exponere et spatii vetat brevitas et pudor ne ea tantum quae a viro ill. de Graefe loco citato tam bene sunt dicta, repetamus. —

Malum neque cauterio oppugnandum neque manu chirurgica devincendum vel recidivum generalia exegit remedia et externa et interna, pro cachexia quae vel affuit vel adhuc reperitur caute et diligenter eligenda. Sic Mercurialia, Digitalis, Belladonna, Cicuta interdum aliquid praestitisse feruntur. Prae omnibus autem longe eminet Arsenici quidem famosissimi usus internus, nisi status hecticus, colliquativus eum recusent.

Dosibus hujus medicaminis alterantis, initio minoribus, per hebdomades et menses continuo augendis, externa quoque adjungatur Panaceae applicatio, dum digestio forsan inde laesa, amaris sublevetur roborantibus, ac nimia sensibilitas deprimatur narcoticis, verbi causa: aqua amygdalarum amararum, Lactucario, Hyoscyamo, Belladonna, Opio. Vomituritio vero et vomitus ut ab Arsenico absistas gravissime monent. — Effectui ejus diminuendo corrodenti in-

---

1) In Révue médiecle Octob. 1824. p. 5.

2) Graefe, Bericht über das medic.-chirurg. augenärztl. Institut der Univ. zu Berlin, und im Journ. für Chir. u. Augenheilkunde. Bd. III. H. 2. S. 256.

serviunt Alkalina ex quibus Brera addit Kali carbonicum, Harless praefert Sodam carbonicam.

℞. Arsenici albi ʒß.
Aquae communis destillat. ℥vj.
M. digerantur vase vitreo clauso in balneo arenae justo caloris ope per horas sex tum adde
Sodae carb. pur. ʒß. ante solut. in
Aquae Cinnam. simpl. ℥ij.
M. digerantur denuo per aliquot horas in loco temperato.

Hujus solutionis bis terve per diem utimur guttis octo, decem, quindecim, eoque Stark labii cancrum, jam glandulis adsitis induratis radicitus fugavit, hocce praeterea externe applicato:

℞. Arsenici alb. Gr. ij.
solve in Aquae destillatae ℥v.
M.

et excrescentiae fungosae illitae sunt his

℞. Unguent. pomad. ℥j.
Pulv. cosmici ℈j.

Dosi interna ad guttas sedecim aucta calorem persensit aegrotus totius corporis enormem, dosin autem guttarum viginti quatuor tanta debilitas secuta est et languor ut diminueretur esset necesse. Diebus viginti praeterlapsis malae tumor diminutus erat, dolores disparuere, ulceris margines deplanabantur, et aegroti vires ita jam erant refectae ut arsenici do-

sis ad octo guttas remitteretur. Indurationes remanentes ter per diem solutione arsenicali humectatae sensim oculis plane se subduxerunt, ita ut intra menses quatuordecim cura absolveretur vere radicalis.

Novissimo tempore ferrum carbonicum ab Anglis maxime et extractum Calendulae laudatum est. Quanti autem habenda sint, experientia jam edocuit, nil autem ea efficere posse miri ex mali natura satis sine ulla dubitatione elucebit. — Sequantur nunc tres de morbo maligno observationes quas humanissimo debeo *Diffenbach*, quae quamvis ad therapiam minoris sint momenti accuratam certe morbi depingunt imaginem.

Observatio prima.

Joannes Guetzow, operarius, annum agens septuagesimum primum, per totam vitam nullum perpessus morbum, hieme modo peracta cum sub dio tempestati asperae expositus esset, summa frigoris vi correptus erat. Haud ita multum post labium tumuit inferius-tumor sponte apertus ulcusculum mox retulit, ab aegroto primum prorsus neglectum, quod tamen remediis adhibitis non solum ad sanationem non accessit, verum etiam in diem incrementis captis tantas attulit molestias tantosque misero movit dolores ut jam macidus et languidus in nosocomio caritatis auxilium mali peteret senex. — Ante paucas ab hodierno die hebdomades totum labium inferius exulceratione carcinomatosa apparuit destructum, vicinae partes glandulosae tumidae, dolores atrocis-

simi aderant lancinantes neque desiderabantur sanguinis ex ulcere tactu provocati effluxus, sicuti secretio tenuissima, ichorosa ac habitus cachecticus carcinomatosae dyscrasiae proprius. Ad hancce calamitatem auferendum partis laesae ad infimam, ut ita dicam organisationem delapsae, exstirpatio unica esse videbatur salus, nisi status hecticus mortem accelerare et vitam fortasse audaci manu adhuc servandam extinguere deberet. — Cui lubentissimo quoque animo sese dedit aegrotus. Operatione ex legibus quas ante exposuimus instituta, omnia haud amplius integra ita remota sunt, ut partes utrinque sanae sutura unirentur circumvoluta. Inflammatione, quae secuta est, per epithemata frigida feliciter devicta, medici conamini laetus successit eventus, ut nonnullis jam hebdomadibus peractis non solum partium ipsa normalis facta sit forma, sed etiam vires reficerentur, totusque habitus videretur permutata.

Observatio secunda.

Carolus S. annos natus quadraginta tres parentes habuit nunquam malo carcinomatoso confectos et ipse hucusque semper optima gavisus est valetudine. Mense anni praegressi Decembri, postquam gravi correptus est refrigerio, dolorem genae intumescentis persensit obtusum, prementem. Tumor brevi adauctus in internum oris erupit cavum fluidoque sanioso ejecto uscus reliquit basi non plana, marginibus gibbosis, quod nullis remediis domesticis sanatum glandulas proximas in sympathiam traxit. Ad hancce ulcerationem supprimendam ter cauto-

rium applicatum est actuale et interne a medico, quem morbi natura plane lateret, Hydrargyrum muriaticum corrosivum datum est, sed tantum abfuit ut bonus inde prodiret eventus, ut potius ulcus magis magisque proreperet immanesque secum ferret dolores. Tali statu in nosocomio caritatis auxilium ut peteret coactus est aegrotus. Tota lateris dextri membrana interna mucosa inde a dente molari tertio indurata erat, excrescentiis verrucosrs, exulceratis, fungosis obsita, ichorem secernentibus foetidum, copiosum. Fistula carcinomatosa malam perforat ipsam, ex qua saliva semper profluit saniosa. Alterum etiam ulcus carcinomatosum in labio inferiori locum obtinet, recentissimum, omnem morbi specifici servans indolem. Gingiva livida est, fere scorbutica, habitus aegri ante validissimi magnopere cachecticus, functiones tamen naturales satis adhuc integrae, dolores summo morbi gradui vix convenientes.

Insignis potissimum videtur in hacce morbi casu origo a membrana mucosa interna profecta, contra plerumque inmembrana externa emergere solet: Quid Zittmanni effecerit usus propter paucos, quos adhibitum est, dies determinari haud licuit.

Observatio tertia.

Carolus Schmidt, annum agens quadragesimum primum, parentibus natus nunquam aegrotis, ante hebdomades fere quindecim primum in labio inferiori animadvertit vesiculam, mox in crustam transductam, dolentem, sanguinem facile effundentem. Crusta mutata est in ulcusculum sensim increscens,

doloribus comitatum haud ita vehementibus pungentibus, urentibus, passim remittentibus. Nunc totum fere labium externum usque ad membranam mucosam internam apparet destructum, fungis excrescentibus lividis, fuscis, marginibus gibbosis inaequalibus; vicinium varicosum est, glandulae proxime adjacentes tumidae, induratae. Habitum prae se fert cachecticum tantaque detentus est debilitate, ut lectulum relinquere vix possit miser, functiones tamen haud tantopere, uti primo adspectu credas, normam excedunt. Decocti Zittmanni nisi morbum tollat usum mox sequetur exstirpatio.

CURRICULUM VITAE.

Ego Heimann Wolff Berend, veteris testamenti fidei addictus anno MDCCCIX oppido Landsberg ad Wartham natus sum, patre dilectissimo Wolff Berend et matre carissima Henrietta, e gente Simoniana, quibus adhuc viventibus ex animo gandeo.

Primis litterarum rudimentis imbutus gymnasinm petii, Regiomonti florens Neomarchici, quo post annum unum dimidiumque relicto, gymnasio Berolinensi, cui tunc temporis eeleberrimus praefuit Bellermann, traditus, per annos tres et dimidium studia humaniora exercui. Maturitatis testimonio primae notae adornatus anno MDCCCXVIII almam universitatem Berolinensem adii, ubi die V mens.

April. ab illustrissimo Bethmann-Hollweg *t. rectore magnifico in civium academicorum nume rum receptus et ab illustrissimo* Rudolphi *t. decano facultatis medicae maxime spectabili, me dicorum ordini adscriptus sum.*

Per quadriennium hisce interfui praelectioni bus: Ill. Rudolphi *de encyclopaedia et metho dologia medica; de anatomia corporis humani, de anatomia organorum sensuum et foetus, de ento zois, de physiologia, de anatomia comparata. Ill.* Knape *de osteologia, de splanchnologia, de syn desmologia. — nec non. Ill.* Knape *et* Rudol phi *in cadarabris rite dissecandis duces mihi fue runt. Deinde audivi. Ill.* Schlemm *dr anatomia. Ill.* Mitscherlich *de chemia. Ill.* Link *de historia naturali et Botanice. Ill.* Weiss *de Mineralogia. Ill.* Hegel *de logice. Ill.* Lichtenstein *de Zoologia. Ill.* Ermann *de Physice generali, Ill.* Gans *de recentissimi aevi historia. Ill.* Brandt *et* Ratzeburg *de Pharmacologia et Materia medica. Ill.* Hnfeland *de Pathologia et Therapia generali nec non dc Therapia sdeciali. Ill.* Horn *de pathologia et therapia speciali, et de morbis syphiliticis. Ill.* Juengkea *de chirurgia et acuirgia.*

Ill. Casper de formulis medicis rite concinnandis. Ill. Kluge de arte obstetricia. Ad praxin medicam, chirurgicam et obstetriciam me instituere Ill. Hufeland cum Ill. Osann et Ill. Busse, Ill. Wolff, Ill. Bartels, Ill. de Graefe. Ill. Rust, Ill. Juengken, Ill. Kluge, Ill. Dieffenbach.

Jam tentaminibus, tam philosophico, quam medico et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine a me sustentatis. spero fore ut dissertatione et thesibus rite defensis, summi in Medicina et Chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

1) *Omnium disciplinarum medicinae anatomi[a] est fundamentum.*

2) *Dentitio non est morbus.*

3) *Morbi sic dicti abdominales roborantibus e[t] nutrientibus* saepius *tolluntur quam resolventibus e[t] catharcticis.*

4) *Ligatura penis amputationi praeferenda.*

5) *Trepanatio cranii magis est operatio prophylactica.*

6) *Exanthemata acuta pro crisi habenda sunt.*

7) *Existunt remedia specifica.*

8) *Omnis sanatio ab ipso Organismo perficitur.*